



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**DN. DVRANDI|| à Sancto Portiano, in Senten=||tias
Theologicas Petri Lombardi|| Commentariorum libri||
quatuor.||**

Durandus <de Sancto Porciano>

Antverpiæ, 1567

Quæstio tertia. Vtrum per baptismum deleatur omnis pœna.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-72607](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-72607)

7 Ad secundum dicendum quod triplex est poenitentia. Prima que est sacramentum, & consistit in actu exteriori confitendis & absoluentis. Et ista non est necessaria baptizandis quantumcumque adultis, imò nec exhibenda, eo quod baptismus est ianua sacramentorum, propter quod non baptizatis non est exhibendum aliquod sacramentum. Secunda poenitentia est contritio sufficiens informata gratia, secundum quam dicimus contritum esse poenitentem, & ista non requiritur ante baptismum. Alioquin adultus baptizandus semper esset ante baptismum iustificatus. Tertia est quedam displicentia peccati commisi, licet informis & imperfecta, que dicitur attritio, que licet non sit sufficiens ad delendum peccatum, est tamen dispositio sufficiens ad suscipiendum baptismum, eo quod tollit fictionem: & de tali poenitentia est intelligendum illud quod dicitur Actuum secundo, & illud quod Augustinus dicit in autoritate allegata.

QVÆSTIO TERTIA.

Utrum per baptismum deleatur omnis poena.

Tho. 3. q. 69. ar. 3.

AD Secundum sic proceditur. Et arguitur quod baptismus non deleat omnem poenam, quia si baptismus deleat omnem poenam, maxime deleat poenam peccati originalis, contra quod præcipue ordinatur, sed illam non delet, ut probatur, ergo nullam. Probatio minoris, fames, sitis, passibilitas, & repugnantia virium sensitiuarum ad rationem sunt poenae originalis peccati, sed ista non amouentur per baptismum, ut quilibet experitur in seipso, ergo &c.

2 Item culpa reordinatur per poenam, sed Deus nihil dimittit inordinatum, ergo per nullum sacramentum tollit culpam, nisi * obligando ad aliquam poenam.

* falsis ordinanda.

3 IN contrarium arguitur per Ambrosium, qui dicit super illud Rom. 11. sine poenitentia sunt dona Dei, & vocatio, quia gratia Dei in baptismo non requirit gemitum neque plandum, sed omnia gratis condonat: ex qua autoritate patet, quod omnis culpa dimittitur in baptismo, & gratis absque ulla poena.

4 **RESPONSIO.** Dicendum est quod per baptismum tollitur omnis poena per se debita cuiusque peccato quantum ad forum Dei & Ecclesie, non autem quantum ad forum mundanum. Primum patet dupliciter. Primo modo, quia per baptismum communicatur nobis plenissime virtus passionis Christi, eo quod per baptismum maxime conformamur morti Christi, ut dicitur Ro. 6. Cõsepulti enim sumus &c. Sed passio Christi fuit sufficiens ad satisfaciendum pro peccatis omnium peccatorum, ergo per baptismum confertur nobis remissio peccati, non solum quoad culpam sed quoad omnem poenam peccato debitam. Per baptismum enim efficitur membrum Christi, ut sic passio corporis communicetur membro ad remedium sanitatis, quantum sufficit ad plenam eius curationem. Secundo patet idem sic, in rebus nouum statum non imputantur eis ad poenam commissam secundum statum pristinum, ut patet de intransibilibus religionem. Sed baptismus est sacramentum intransibile religionem Christianam, in qua sola est status salutis, ergo baptizatis non imputatur ad poenam aliquid quod commiserint secundum conuersationem pristinam. Hoc autem intelligendum est quoad forum dei, & quoad forum ecclesie quantum ad poenas per ecclesiam statutas, de quibus ecclesia ordinauit quod remitterentur baptizatis.

5 Quantum autem ad forum mundanum & civile non sic, quia in illo iudicio non solum attenditur qua poena sit homo dignus quoad Deum, sed etiam in qua sit obligatus, quoad homines qui sunt læsi & scandalizati per peccatum. Et ideo licet homicida totaliter liberetur a reatu poenae quoad Deum, remanet tamen obligatus quoad homines quos iustum est edificare de poena, sicut sunt scandalizati de culpa: talibus autem princeps pie posset poenam dimittere, maxime si signa apparerent euidentia, quod homicida peteret baptismum deuotione fidei, & non timore mortis.

6 Ad primum dicendum quod per baptismum tollitur omnis poena originalis peccati, que est poena eius per se, sicut priuatio gratiae in presenti, & carentia gloriae in futuro. Poena autem que debetur originali peccato per accidens non tollitur, ut est fames, sitis, passibilitas corporis, & hu-

iusmodi, quia ista sunt à natura per se, licet sint à peccato originali, sicut à causa remouente prohibens, quia peccatum originale tollit iustitiam originalem, que impediens vitiosum defectum in esse naturae, nec tunc conueniens ut isti defectus in presenti vita auferrentur. Primo, ne membrum caput excedat. Christus enim caput nostrum à principio suae conceptionis plenus fuit gratia: habuit tamen corpus passibile, cum quo redemptionem nostram exercuit. Similiter Christianus in baptismo gratiam consequitur quantum ad animam. Corpus tamen inane passibile, in quo pro Christo pati possit. Secundo ut homo pugnando contra concupiscentiam & alias passibilitates, & vincendo mereatur coronam. Tertio ne si baptismus conferret impassibilitatem corporis, homines magis quaererent baptismum propter commoditatem vite presentis, quam propter fructum vite spiritualis.

7 Ad secundum arg. dicendum, quod culpa reordinatur per poenam, sed illam poenam potest solvere, vel ille qui peccauit, vel alius pro eo: & sic fit in baptismo, quia poena passionis Christi communicatur baptizato, qui per baptismum efficitur membrum Christi, & sic ordinatur culpa per poenam.

QVÆSTIO QVARTA.

Utrum recedente fictione ab eo qui fidee baptismum suscepit, talis consequatur baptismi effectum.

Thom. 3. q. 69. ar. 10.

DEinde quaeritur de recipientibus baptismum. Et primo quaeritur de fictis. Et secundo de carentibus viis rationis. Circa primum quaeritur, Utrum in fictis accedentibus ad baptismum recedente fictione baptismus suum consequatur effectum. Et viderur quod non, quia contingit quod post baptismum, antequam fictio recedat, baptizatus committat multa peccata mortalia. Recedente ergo fictione aut ista tollentur per baptismum cum aliis, aut alia sine istis, aut nec alia prius commissa tollentur: non potest dici quod ista tollentur cum aliis, quia nec baptismus, nec quodcumque sacramentum extendit se ad peccata committenda post sacramentum, sed tantum ad prius commissa, nec potest dici quod alia tollentur sine istis, quia impium est à deo dimidiam veniam expectare. Et rectum quia praecedentia non possunt tolli sine gratia que non statim ret cum sequentibus. Relinquitur ergo quod recedente fictione baptismus prius susceptus nullum habeat effectum.

2 Item prolatis verbis sacramentalibus super panem & vinum statim sacramentum habet suum effectum, aut nunquam, ergo similiter in sacramento baptismi factis istis que concurrunt ad integritatem ipsius, aut tunc habet effectum suum, aut nunquam.

3 IN CONTRARIUM est quod dicit Aug. lib. de Baptismo, & recitatur de consec. di. 4. tunc valere incipit baptismus ad salutem, cum illa fictio veraci confessione ne recesserit, que corde in malitia perseverante peccatorum absolutionem non sinebar fieri.

4 **RESPONSIO.** Intelligendum est quod fictus dicitur aliquis cum vnum praetendit interius & aliud ostendit exterius. Et secundum hoc aliquis potest dupliciter esse fictus respectu sacramenti. Vno modo respectu sui ipsius sacramenti, scilicet quia ostendit se velle suscipere sacramentum exterius, & tamen non intendit. Alio modo est aliquis fictus respectu praeparationis ad sacramentum, quia cum velit suscipere sacramentum ipso facto ostendit se dispositum & paratum, & tamen non est, cum sit in proposito peccandi. Fictus primo modo nihil suscipit. Cuius ratio est, quia sicut ad sacramentum requiritur intentio ministri ad conferendum, sic requiritur intentio suscipientis ut recipiat ipsum vel propria si sit adultus, vel aliena si sit paruulus. Sed deficiente intentione ministri conferentis nullum est sacramentum, ut infra patebit, di. 6. q. 2. ergo deficiente intentione suscipientis nullum est sacramentum. Recedente ergo fictione nullus effectus sequitur, quia nihil prius fuit factum. Talis ergo indiget baptizari, quia nunquam fuit baptizatus.